

quando sacerdos potest accedere vel quando debet dimittere. Et subdit idem Augustinus¹: 'Zacheus et centurio non contenderunt et ambo salvatorem honoraverunt, quamvis non eodem modo. Ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Verum sine comparatione sanctius est et salubrius dispositio cum timore et reverentia accedere, quam ex humilitate indignum se reputando dimittere, quod sic caret quam pluribus fructibus, quos sacrosanctum confert sacramentum.

Venerabilis Beda dicit, quod sacerdos, qui est sine peccato mortali et in proposito celebrandi et non celebrat, cum habeat copiam, quantum in ipso est, sanctam trinitatem privat gloria, angelos in celesti Ierusalem manentes laetitia, homines in terra laborantes beneficio et gratia, animas in purgatorio detentas patrocínio et venia etc. Haec praedicta de audiendo missam, de celebrando et communicandi modo verba non sunt mea, sed sanctorum doctorum hic allegatorum, prout ex eorum libris collegi et magnificentiae vestrae, ut promisi, praemissis adiunxi.

(f. 249^v) Haec, domine mi, scripsi et magnificentiae vestrae pro munusculo et donativo gratuito mittere curavi, quod vestra dilectio pie recipere dignetur, licet ab indocto et incongruo, ab affectu tamen magno, ut in eo terentes granum medullam sapere botroque² quassantes mustum bibere atque apum more mel dulce de flore et murrato eliquare dignemini, non colorem advertentes aut verborum formam, sed solum, si quid in eo est vestrae utilitati seu vestrum deserviens, capientes, reliquum vero ignorantiae meae assignetis, quatenus sic gradum, quem incepistis, non in impetu spiritus³, sed gradatim et cum humilitate, qua secundum Bernardum ascenditur ad sublimitatem, ascendere valeatis et in sanctimoniae novitate ad Christum scalae innixum feliciter pervenire, quod vobis una vobiscum et nobis tribuere dignetur unus in trinitate perfecta regnans deus in saecula saeculorum! Amen.

1) Opera, Antwerpiae 1700, II, 94.

2) 'botrosque' zu lesen. Red.

3) Dan. 14, 35: 'in impetu spiritus sui'.